



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

1. An peccatum rectè diuidatur in illa tria membra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

DISPUTATIO IV.

De peccato ex passione, ignorantia, & malitia.

SECTIO VNICA.

An peccatum recte diuidatur in haec tria.

**I**n praecedentibus explicui ea, quae pertinent ad formale, & materiale peccati; haec vero sectio praecipue necessaria est ad intelligendam grauitatem accidentalem eius, de qua Doctores in 2. d. 22. & 43. & D. Tho. 1.2. quest. 76. 77. & 78. Vbi haec numerat tanquam tres causas peccatorum: tamen quia proprie circumstantiae sunt, & melius, & breuius intelliguntur si simul inter se conferantur, ideo vnico verbo hanc rem expediemus.

**I.** Dubitatur itaque, utrum peccatum recte in tria illa membra diuidatur. Ratio dubitandi prima est, quia omne peccatum ex aliqua ignorantia oritur. Secundo, quia nullum est peccatum ex malitia, quia vel illa malitia, ex qua dicitur esse peccatum, est actualis malitia, vel non: si non est actualis, non est malitia: si vero actualis: ergo peccatum: ergo vel illud est ex malitia, vel non: si illud est ergo in alio quod non fit ex malitia, & cetera, quae ex illo oriuntur, etiam non erunt ex malitia, sed erunt tantum talia, quale illud est ex D. Thoma q. 3. de malo art. 4. quia effectus participat conditionem causae. Tertio, quia videntur esse aliqua peccata, quae non comprehenduntur ista diuisione: primum ignorantia ista, quae sepe peccatum est. Secundo peccatum ex suggestione, quod non est ex malitia, cum proueniat ab extrinseca causa, & tamen neque est ex passione, neque ex ignorantia, vt patet in peccato Adam, & inferiorum Angelorum, & idem fere videtur de peccato, quod occasionem habet in naturali quadam complexione praua, & tandem potest esse peccatum, quod simul ex ignorantia, & passione oriatur.

**II.** Prima propositio. Certum est haec tria genera peccatorum reperiri. Probat Actorum 3. Scio quia per ignorantiam fecisti. 1. ad Timoth. 1. ignorans facti, Ierem. 4. propter malitiam cogitationum restraxim, &c. Iesai. 5. Vt qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, &c. Dan. 11. Concupiscentia subuertit certum, Iob. 34. Quasi de industria recesserunt a me, quod est peccatum ex malitia, & est communis sententia Patrum, & Theologorum, & ratione patet statim.

**III.** Secunda propositio. Peccatum ex passione illud est, quod oritur ex motione appetitus sensitui trahentis voluntatem ad consentiendum, atque adeo determinantis libertatem, iuxta illud Iacobi. Vniuersusque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illeceus. Aduertendum est circa hoc genus peccati passionem hanc debere antecedere, & quodammodo extorquere consensum voluntatis, atque adeo debere esse intentum, & vehementem: nam si sit remissus quidam motus, qui fere nihil voluntatem commoueat, aut rationem perturbet, non constituitur peccatum ex passione, quia fere nihil minuit libertatem, & propterea oportet esse passionem simpliciter antecedentem: nam si sequatur excitare

à voluntate, licet postea ipsam voluntatem auget, neque peccatum, neque augmentum eius, censentur ex passione, quia non fuit passio prima radix, & causa augmenti, & peccati. Ex quo etiam fit vt ea passio, quae propter prauam consuetudinem est vehementior, non constituat peccatum ex passione, quia talis motio non est violenta, sed voluntaria, & ideo dixit Aristoteles, intemperatum, non ex passione, sed ex malitia peccare, 3. Ethicorum. Et D. Thomas idem dixit 1. 2. questione 78. articulo septimo, de peccato ex consuetudine, quod intelligendum est quando ipsa consuetudo voluntaria est: nam si poeniteat aliquem praeteritae consuetudinis, & iam, quod in se est, faciat, vt illi repugnet peccatum ex illa consuetudine ortum, ex passione iudicandum erit, & idem fere iudicandum, quando consuetudo ipsa ex passione traxit originem; quia tunc sicut habitus passione est genitus, ita eius effectus moraliter videntur quasi ex passione fieri, licet D. Thomas in questione 79. articulo 2. ad secundum aliud videatur indicare, sed intelligendus est, quando passio non cessauit, & nihilominus aliquis vult perseverare in sua consuetudine, tunc enim habitus incipit esse quasi plene voluntarius.

De ignorantia multiplex quaestio excitari solet: quod attinet ad moralia, de quibus hic nobis sermo est, prima esse de ignorantia, quatenus est cum voluntario, de qua etiam superius diximus in tractatu 2. Secunda consideratio est, quatenus refertur ad species bonitatis, vel malitiae moralis, seu peccati: & hoc modo de illa fus egimus tractatu 3. in materia de conscientia. Tertia consideratio, vt causa, vel potius circumstantia peccati, & de hac agemus statim, & multa etiam diximus superius in illo tractatu 2. Idem enim omnino est ignorantiam causare, augere, vel minuire voluntarium, ac augere, minuire, vel causare peccatum. Quaedam vero aliae quaestiones, scilicet, an ignorantia, quae non excusat à culpa, excuset à poena, vel e contra, an ignorantia quae excusat à culpa, non excuset à poena? & aliae huiusmodi, non sunt huius loci propriae; prima enim solum videtur habere locum in excommunicatione, posterior vero in irregularitate, vt latius in materia de censuris videri potest. Quarta consideratio esse potest de ignorantia ipsa, quatenus quoddam peccatum esse potest, & de hoc peccato dicemus disputatione sequenti section. 3. In specie vero, nempe quarum rerum ignorantia sit peccatum, & quando, & quomodo id contingat, ad materiam de fide spectat, ibique videri potest, vbi agimus de praecipuo, quo tenemur scire res fidei. Nunc quatenus peccatum dicatur esse ex ignorantia, videamus.

Tertia ergo propositio sit. Peccatum ex ignorantia illud est, quod à vincibili ignorantia voluntarium diminuente, tanquam à causa per accidens procedit, iuxta illud 1. ad Corinth. Si cognouissent, non crucifixissent. Dixi ignorantiam debere esse vincibilem, quia oportet omnino peccatum esse voluntarium, & propterea, si inuincibilis est, non solum non est culpabilis, sed excusat, vt D. Thomas expresse multis in locis docet: in 1. 2. licet Caietanus questione 176. articulo primo, velit ignorantiam inuincibilem esse causam peccati, licet illud peccatum (inquit) non imputetur operanti: tamen non bene loquitur, potest enim ignorantia inuincibilis esse causa efficiendi actum, qui esset peccatum, si voluntarie heret, tamen simpliciter numquam est causa peccati, quia cum illa adest, non solum

IV. Recensetur, & re-  
nuntuntur  
alia varia  
de igno-  
rantia.  
V.  
Propositio de peccato ex ignorantia.  
VI. Propositio de peccato ex passione.

solum actus non est peccatum, sed etiam esse potest virtus.

**VI. Obiectio.** Sed contra, nam si quis inuincibiliter ignoret talem actionem, quam nouit turpem, fore Petro nociuam, & ideo illam exerceat, quam tamen non exerceat, si id non ignorare, tunc illa ignorantia inuincibilis est causa peccati tanquam remouens prohibens. Respondeo concedendo

*Diluitur.*

aliquam ignorantiam inuincibilem esse interdum nonnullam occasionem peccandi, nego tamen ratione istius ignorantia actum esse malum, & hoc modo debet oriri ab ignorantia peccatum quod ex ignorantia dicitur. Vnde peccatum illud quod proponitur in casu argumenti, cum supponatur eum qui peccat scire actionem illam esse aliam turpem, quam tamen turpitudinem solum contrahit, non est ignorantia. Sed aduertendum præterea est istam ignorantiam, ut D. Thomas 1. 2. *quest. 76. artic. 1.* notat, debere esse scientia contrariam non prudentia, seu electioni recte tantum, quæ potius inconsideratio dicitur: nam cum ista inconsideratione peccati, potest esse ex malitia, & quocumque alio modo: quod forte limitari potest, quando inconsideratio illa ex humana quadam fragilitate procedit: nam tunc non censetur procedere ex perfecta libertate, & ideo non minus diminuit peccatum; quam ignorantia scientia, ac propterea tunc reduci potest hoc peccatum ad peccatum ex ignorantia, nisi quis velit potius pertinere ad peccatum ex passione, quia inaduerentia illa, vel inconsideratio frequenter ex passione procedit, vel moraliter reputatur tanquam fragilitas æquivalens passioni: tandem addendum est oportere ignorantiam istam non esse affectuam, nam quando ipsa est directe amata, licet scientia sit contraria, non tollit perfectam libertatem, neque voluntarium, & ideo non constituit peccatum ex ignorantia, quia reuera prima radix peccati non est ignorantia, sed voluntas. Vide D. Gregorium 25. *moralium cap. 16.* & D. Augustinum *libro de gratia, & libero arbitrio cap. 3.* Bernardum *epistola 27.*

**VII. De peccato ex malitia. 1. Sententia.** Iam de peccato ex malitia difficultas est in quo consistat. Prima sententia dicit peccare ex malitia esse peccare amando malum sub ratione malitia Scotus, Nominales, & alii referati soliti 1. 2. *q. 8. art. 1.* tamen addit Almain. *tractatu 3. cap. 26.* peccare ex malitia, esse amare peccatum quatenus est offensa Dei, licet sub aliqua ratione boni, ut vindictæ, &c. Sed is forte potest esse quidam modus peccandi ex malitia, tamen neque omne peccatum ex malitia comprehendit, neque tale genus peccati frequenter reperitur inter homines, sed est quasi proprium damnatorum: peccatum autem ex malitia frequens est.

**VIII. 2. Sententia etiam refellitur.** Secunda sententia dicit peccare ex malitia esse peccare ex perfecta scientia intellectus speculatiua, & practica, habituali, & actuali, & hic modus etiam præter Scotum: sed an ille modus peccandi possibilis sit, tractandum est disputatione sequenti: certum tamen videtur non esse necessarium ad peccatum ex malitia, ex ratione facta, quia peccatum ex malitia frequens est: ille autem modus vel nunquam, vel raro contingit. Item quia peccatum ex consuetudine voluntarium, secundum omnes, est peccatum ex malitia, & tamen non semper fit cum illa consideratione actuali. Denique neque ille modus sufficit ad peccandum ex malitia: nam maxime operabitur quis contra illam totam scientiam ex passione aliqua, & sic erit peccatum ex passione.

**IX. 3. Sententia.** Tertia sententia est D. Thomæ 1. 2. *quest. 78. artic. 3.* tunc aliquem peccare ex malitia, quan-

do voluntas de se ipsa fertur ad malum, quia tamen voluntas non fertur ad malum, eo quod malum est, ex mali propensione, addit D. Thomas oportere, ut fertur ex aliqua deordinatione, quam interdum dicit esse prauum habitum, ut *quest. 3. de malo artic. 12.* interdum vero ait esse vel aliquod peccatum præcedens, ut desperatio, &c. vel certe aliqua complexio naturalis, & praua corporis dispositio, &c. Sed hæc omnia indigent explicatione, & videtur mihi melius explicari hoc peccatum per negationes, quam per affirmationes.

Quarta propositio. Peccatum ex malitia est illud, quod abque ignorantia, vel passione, atque adeo plena libertate, & voluntate committitur. Hæc patet primo, quia hoc peccatum ab omnibus distinguitur contra alia duo genera peccatorum: ergo est tertium membrum reliqua omnia peccata complectens. Et ratione confirmatur, nam, ut D. Thomas ait, homo peccat ex malitia quando ipse ex se fertur ad malum, propter quod Aristoteles 7. *Ethicorum cap. 7. & 8.* vocat hoc peccatum *ex electione*, & sacra Scriptura vocat illud *quasi ex industria*, Iob. 34. Sed tunc proprie mouetur homo isto modo, quando neque ex passione, neque ex ignorantia, sed propria libertate mouetur, nam sola ignorantia est, quæ ex parte intellectus potest minui et potestatem voluntatis, sola etiam passio est, quæ potest quasi nonnullam vim ipsi voluntati inferre: ergo quando neutra istarum circumstantiarum adest, peccatum est plene liberum, & sine vlla excusatione proprie commissum, & ideo ex malitia proprie dicitur.

Ad argumenta in principio, ad primum iam dictum est eam inconsiderationem, quæ coniuncta est cum omni peccato per se, non sufficere ad peccatum ex ignorantia, & consequenter non repugnare cum peccato ex malitia, quia moraliter non censetur minui libertatem, quia facillimo negotio vitari potest, quando non adest passio, neque ignorantia.

Ad secundum patet ex dictis, peccatum non dici ex malitia, quia ex priori peccato oritur, sed quia ex libertate sola, quæ veluti de se se proue vitur sua facultate, & ideo quasi denominatione extrinseca, malitia nuncupatur: quare cum D. Thomas ait peccatum ex malitia oriri ex illis inordinationibus enumeratis, intelligendum est, ex illis sumi quidem occasionem peccandi, quatenus ratione illarum fit, ut obiectum appareat conueniens, vel ut remoueantur ea, quæ possent impedire peccatum; tamen ut doctrina sit generalis, non est intelligendum illas inordinationes esse semper necessarias, sed vel illas, vel aliquid illis proportionale, quod etiam ipse D. Thomas indicauit *artic. 1. ad 3. & artic. 3. ad 3.* & patet in primo peccato primi Angeli.

Ad tertium respondeo, quando ignorantia est peccatum, ipsa potest esse peccatum ex malitia, si directe, & plene libere ametur, & ex passione, & ex ignorantia, quia ipsa potest reflecti in se. Ad secundam partem respondeo, suggestionem semper in hominibus excitare passionem quandam, si tamen id non faciat, ut in Adamo, & Angelis, aliqui volunt hoc peccatum non comprehendit sub ista diuisione: sed melius dicitur illud esse peccatum ex malitia, quia est plene liberum, & tota illa suggestio solum est tanquam propositio obiecti. Et ad eundem modum est dicendum de praua complexione naturali, quando est occasio peccandi. Nam frequenter hæc complexio in tantum est occasio ad peccatum, in quantum excitat passionem, ut D. Thomæ 1. 2. *quest.*

quest. 77. artic. 7. indicat, si tamen nullam passionem moueat, sed solum sit occasio peccandi, in quantum ratione illius hæc potius obiecta, quàm illa offeruntur tanquam conuenientia, tunc tale peccatū est ex malitia, quia plene, & perfecte liberum, & hæc est differentia inter passionem, & naturalem corporis complexionem, in quo Caietanus 1. 2. qu. 78. artic. 7. laborat. Ad tertiam partem argumenti respondeo diuersis rationibus posse pertinere illud peccatum ad diuersa membra, vel ad illud potissimum, quod magis libertatem diminuit.

XIV. Ex dictis primo colligitur diuisionem istam esse sufficientem, & inductione patet etiam. Secundo colligitur esse diuisionem accidentalem, non essentialem, quod per se constat, quia solum ex diuersis circumstantiis, quomodo sumitur: patet etiam ex dictis. Tertio colligitur ex his peccatis grauisimum esse suo modo peccatum ex malitia. Patet, quia est maxime liberum, & quia ex sua ratione sic cum maiori contemptu, quæ maxime aggrauant peccata, uideatur Augustinus 14. de Ciuitate cap. vltimo, & Aristoteles 7. Ethicorum cap. 3. ex aliis uero duobus membris peccatum ex ignorantia, & liberum, & uoluntarium dimittit: passio uero licet libertatem minuat auget uoluntarium, item quia facilius potest quis vitare peccatum ex passione, quam ignorantia: uideatur Augustinus 6. contra Iulianum cap. 1.

DISPUTATIO V.

De causis propriis, & interioribus peccatorum.

SECTIO I.

An in uoluntate possit esse peccatum.

I. Notatio 1. pro titulo.



Peccatum quatenus peccatum est, nullam proprie formalem causam habet; præter eam inordinationem, à qua formaliter denominatur peccatum: & quia hæc inordinatio est præter intentionem operantis, ideo peccatum ut tale est, neque formalem causam habet, licet ut est actus, sic aliquo modo propter finem, de quo sine satis supra disputauimus. Igitur de causa materiali, & efficiente agendum est, sciendum est autem ex D. Thoma, peccatum proprie esse actum immanentem, nam est actus uoluntarius, qui manet in operante, & denominat illum peccatorem, unde necesse est idem esse proximum efficiens, & materiam peccati, nam actus immanens in eo subiecto recipitur, à quo fit, & ideo de utroque simul erit dicendum. Præterea supponendum est tanquam certum, contra quendam antiquum errorem Albanensium, quem Castro uerb. peccatum heresi 3. refert: hominē ipsum esse proximam causam efficiuam, atque adeo proximum subiectum peccati, quod per se notum est ex dictis: & patet ab effectu, quia ipse homo est qui punitur, unde de supposito agente nulla manet quæstio, sed tota est de potētis, in quibus potest esse peccatum.

II. In quo uersetur quæstio.

Queritur ergo primo, & vtrum in uoluntate possit esse peccatum, & simul, vtrum sola uoluntatis libertas possit esse prima radix, & origo peccandi, atque adeo sufficientis. In hac autem Suarez in primam secundæ D. Thom.

quæstione vnum est de fide certum, nempe in uoluntate esse uere, & proprie peccatum, & solum eius consensum sufficere ad peccandum, hoc patet ex Matth. 5. 6. & 7. & ex dictis supra de malitia morali, quam totam in interioribus actibus constitutumus, quia illi sunt proprie humani, & uoluntarii: eadem autem est ratio de deformitate peccati. Confirmatur, nam hac ratione in uoluntate angelica potuit esse peccatum, & in hoc errarunt olim Hebræi totam iustitiam, atque adeo totum id quod est peccatum, ponentes in actibus externis, ut colligitur Matth. 6. & refert Iosephus 12. antiq. 1. cap. 13. contra quos facit illud Psalmi 53. Si iniquitatem asperi in corde meo, &c.

III. Corollaria. 4.

Colligitur iam primo ex his uoluntatem esse, quæ proxime efficit peccatum. Patet, quia est actus uiræ, & appetitio libera. Secundo sequitur deformitatem peccati proxime quasi inherere in actu ipso, & per illum in uoluntate. Patet, nam proxime, & immediate actum denominat, ratione iam dicta. Tertio sequitur uoluntatem non esse causam physicam per se, & directe influentem in deformitatem peccati: esse tamen causam moraliter per se, & physicam per accidens. Patet singula, quia priuationis & defectus non habent causam physicam per se efficientem, quia actio physica per se tendit ad dandum esse. Et hoc modo August. 12. de Ciuitate c. 7. dicit peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem, quia non est quidem effectio, sed defectio. Secunda pars de causalitate per accidens constat, quia uoluntas efficit actum cui coniuncta est priuatio, ergo per accidens priuationem causat. Dices, imo etiam sequitur per se efficiere, quia illa deformitas necessario est coniuncta actui, ut hic, & nunc fit, ergo etiam intensa per se sicut actus. Respondeo, hoc probat tertiam partem tertii corollarii, de causa per se morali supposita obligatione uitandi inordinatum actum: de causa autem physica non procedit, ut patet. Quarto constat, quid dicendum sit de causa pura omissionis, si illam esse contingat, huiusmodi enim peccatum & inordinatio immediate, & proxime quasi inheret ipsi uoluntati: nam est priuatio actus debiti in esse causam autem efficientem nullam habet positiuam neque per se, neque per accidens, sed priuatiuam: scilicet formalem uoluntatem ipsam, ut non influentem in actum, unde quod D. Thomas 1. 2. q. 75. artic. 1. dicit inordinationem peccati, semper habere causam aliquam agentem per accidens, quia non est pura negatio, sed priuatio perfectionis debite in esse: perfectio autem debita non abest nisi propter causam impediendam: hoc inquam, est intelligendum moraliter, & frequenter, quia frequentius accidit omne peccatum actu positiuo committi: tamen per se, & simpliciter, necessarium omnino non est: unde etiam ratio illa per se non est necessaria in presenti materia: nam peccatum non priuat perfectione debita, necessitate naturæ, sed debita ex lege rectæ rationis: & propterea non tantum propter impedimentum, sed etiam ratione libertatis abesse potest.

IV.

His positis difficultas potissima huius materiæ est in explicanda radice huius defectus, qui actui uoluntatis coniungitur: nam cum uoluntas ex sua natura sit perfectum principium agendi: non facile apparet, quid sit in causa, ut in suis actionibus deficiat. In qua re prætermittendus est error Manichæi, qui, sicut ponebat duo prima principia, bonum, & malum, ita homini tribuebat duas animas, ueram factam à principio boni, & malam factam à principio mali.

L1 malo,